

vel ipsa etiam consuetudine introductum; nam ad hoc ipsum valere potest ipsa consuetudo, quasi reflectens in seipsam, quia non est minor ratio in hoc jure quam in aliis. Ad do distinguendum esse de privilegio contra jus, vel concedente tantum aliquid ultra seu præter jus. Et de priori dicendum est illud tempus esse sufficiens et necessarium, quod fuerit tale ut consuetudo abroget legem, dummodo aliæ conditiones necessariae ad præscriptionem seu consuetudinem concurrant. Quia illa consuetudo, licet non abroget legem, ex parte tollit eam, seu illi derogat, et ideo idem tempus requirit, quia in hoc non variatur jus præscriptionis, ut supra dictum est. De posteriori vero privilegio, dicendum est obtineri per modum præscriptionis, et ideo, juxta exigentiam materiæ, majus vel minus tempus postulare; nam quædam jura breviori tempore præscribuntur quam alia, et contra quasdam personas vel communitates citius quam contra alias, et ita applicandæ hic sunt regulæ communes præscriptionum, quas in præsentī prosequi non possumus, et ideo priores auctores generatim de consuetudine locuti sunt. Qui vero immemoriam commemorant, non id faciunt quia semper sit necessaria, sed vel quia loquuntur juxta jura quæ explicant, vel quia immemorialis consuetudo et certior est, et quia generalis, et per se sola sufficit absque alio titulo, quando jus illi expresse non resistit, ut dicti auctores notant, et supra tractando de Tributis tactum est.

17. *Respondetur ad rationes dubitandi.* — Ad rationem ergo dubitandi in principio positam, dicendum est consuetudinem, licet per actus privatorum paulatim introducatur, non dare privilegium virtute et efficacia talium actuum per se sumptorum, sed in virtute tacitæ voluntatis principis, aut virtute juris communis dantis consuetudini hanc efficacitatem. Per quod etiam ad confirmationem responsum est. Ad replicam autem ibi factam de scientia principis, in libro præcedenti explicatum est hanc conditionem non esse necessariam, ubicumque effectus ex vi consuetudinis præscriptæ. Unde si consuetudo sit immemorialis, reputatur ut nota principi; sic dixit Bald., tit. Quæ sint regalia, cap. 2. num. 3: *In præscriptione longissimi temporis, non posse dici principem ignorare, cum sciat per se, vel alium, vel etiam in genere; et num. 4, addit talem consuetudinem comparari concessioni principis ex certa scientia.* Si vero sit præscriptio alterius temporis, dicendum est

dispositionem et efficaciam juris communis in illa supplere quamcumque ignorantiam. Nam per illud jus declaravit auctor ejus se velle dare auctoritatem tali consuetudini absque alia ejus notitia.

18. Ad c. *Contra mores*, respondet tacite Felin. in c. *Accedentes*, n. 6, in princ., ibi contineri exceptionem a regula generali, quia usus pallii extra Missarum solemniam (de quo ibi agebatur) non est materia præscriptibilis, quia lex expresse vetat id fieri, nisi ex speciali privilegio. Et videtur sumpsisse ex Gloss. in c. *Catholica*, dist. 11, verb. *Particularis*. Non designant autem canonem in quo ante illud decretum statutum esset ut non posset ille honor vel facultas præscribi. Imo, neque usus pallii extra Missarum solemniam videtur fuisse tunc prohibitus canone scripto, sed sola generali consuetudine; hanc enim ibi Gregorius allegat, et in illa sola fundatur. Dicit vero potest primo, consuetudinem illam generalem ita fuisse intellectam et explicatam a Gregorio, ut ipsamet prohiberet præscriptionem contra se per solam privatam consuetudinem; nam si lex scripta potest hoc prohibere, etiam consuetudo id poterit introducere. Secundo, dicit potest materiam illam de se non fuisse præscriptibilem, quia talis consuetudo privata erat indecens, et contraria humilitati et modestiæ Prælatorum, ut in ipsomet textu Gregorius satis significat: et hanc solutionem indicat ibi Turrecr., dum ait privilegium honoris non acquiri consuetudine, sed oneris. Quod non puto universaliter esse verum, sed tunc quando usurpatio honoris est indecens, aut minuens divinum cultum, vel alio modo honestis moribus repugnans. Tertio, dicit potest (et insinuat etiam Turrecr.) Gregorium ibi non loqui universaliter, nec negare absolute in illa materia potuisse privilegium privata consuetudine acquiri; nihil enim tale in illo textu reperio. Sed potius supponit Gregorius non fuisse introductam per se consuetudinem, sed usum illum, qui erat, titulo privilegii fuisse usurpatum; nam hoc fuerat confessus ipsemet Archiepiscopus Ravennatis. Igitur ex hac suppositione et quasi ex concessis recte argumentatur Gregorius, et ita facile reliqua expediuntur.

## CAPUT VIII.

## QUIS POSSIT PRIVILEGIUM CONCEDERE.

1. Hactenus explicatum est an sit et quid sit privilegium, non solum secundum genera-

lem rationem, sed etiam juxta varias quasi species suas; sequitur consequenter ut de causis ejus dicamus, inter quas primum occurrit causa efficiens, quia, licet sit extrinseca, ab illa maxime et quasi primario pendet privilegium, quia omnis gratia præcipue oritur ex potestate et liberalitate donantis; privilegium autem quædam gratia est, ut supra vidimus. Accedit quod, capite proxime præcedente, ad explicandam speciem quamdam privilegii, necessarium fuit duas causas efficientes privilegiorum attingere, scilicet, hominem et consuetudinem, sub quibus duobus membris omnis causa effectrix privilegiorum comprehenditur (omittimus enim Deum, quia non de divinis privilegiis, sed de humanis tractamus, ut supra etiam dictum est). Ex illis duobus generibus causarum, illud quod ad consuetudinem spectat, in eodem superiori capite satis tractatum est; secundum ergo hic superest explicandum.

2. *Duæ regulæ generales.* — *Ratio primæ regulæ.* — De illa ergo duæ regulæ generales assignari possunt. Prior est: quicumque potest legem condere, potest etiam privilegium concedere. Altera est: nullus potest privilegium concedere, qui legem condere non potest. Et ambæ sub una exclusiva comprehenduntur: solus ille potest privilegium dare, qui potest legem ferre. Ita sentit D. Antoninus, 1 part., tit. 19, cap. 1, in princip. Nam, licet exclusivam non addat, nec expresse ponat, secundam regulam negativam aperte ponit, et explicat affirmativam in sensu exclusivo, et eodem modo loquitur Sylvest., q. 2; et Angel., q. 3; Tabien., q. 2; Rosel., q. 2; Armil., n. 3: qui omnes scripserunt ex Hostiens. in sum., tit. de Privileg., § *Quis possit*, etc. Ratio ergo prioris regulæ est, primo, quia privilegium est lex quædam privata; ergo ab eo maxime dari potest qui potest legem universalem condere. Secundo, quia si privilegium rigorose sumatur, ut est concessio specialis contra universalem legem, ab illo maxime fieri potest, qui esse potest auctor legis: nam ad illum primario spectat dispensare in sua lege, et a fortiori quamlibet exceptionem facere qualis per privilegium fit. Si vero latius sumatur privilegium pro gratia et beneficio ultra jus, constat maxime concedi posse a principe, qui est supra ipsum jus, et ad quem spectat limites ponere in ipso jure, vel præter illud operari, aut potestates varias concedere, etc.

3. *Secundæ regulæ ratio.* — *Objectio cum confirmatione.* — Ratio vero posterioris regulæ

est, quia privilegium est quædam lex privata, ut diximus; ergo requirit potestatem legislativam in concedente. Dices: sufficit potestas legislativa secundum quid, quia privilegium tantum est lex secundum quid, scilicet lex privata, ad quam non videtur requiri potestas simpliciter legislativa, qualis est potestas suprema gubernativa. Et confirmatur: nam si consideretur privilegium ut concedit aliquid speciale contra legem, æquiparatur dispensationi: ergo quicumque potest dispensare in lege, potest etiam privilegium tale concedere; at multi possunt dispensare, qui non possunt legem ferre; si vero consideretur privilegium ut concedens aliquid præter legem, sic multo facilius potest concedi etiam ab eo qui nec potestatem dispensandi in lege habet, quia unusquisque dominus vel privatus princeps potest alicui concedere privilegium honoris, vel alterius prærogativæ, in domo sua, vel in bonis suis, etiamsi nec legem condere nec jus dicere possit. Quod patet exemplis: nam civitas non suprema, nec metropolitana, sed ordinaria, potest eximere civem a tributis, vel ab aliis muneribus per modum pacti, ad quod non requiritur vis legislativa, et illud est verum privilegium, etiam irrevocabile, ut notavit Panorm. in capite *Pervenit*, de Immunitate ecclesiastica, cum Bartolo, in lege *Quod semel*, ff. de Decretis ab ordin. faciendis, et in lege *Omnes populi*, ff. de Just. et jure, et alii multi, qui ibi referuntur, et sumitur ex lege 1, c. de His quæ sponte, etc., lib. 10.

4. *Responsio objectioni.* — Respondeo quod, licet privilegium sit lex privata, nihilominus, ex ea parte qua derogat juri communi, requirit potestatem publicam, et de se sufficientem ad constituendum jus commune; ex ea vero parte qua privilegium habet vim obligandi alios ad servandum privilegium ipsi privilegiario, est vera lex respiciens communitatem, et ideo ex hac parte requirit publicam potestatem simpliciter legislativam. Quando vero privilegium non fuerit contrarium juri communi, sed statuto municipali, tunc cum proportionem requirit potestatem legislativam municipalem, ut sic dicam, et sic semper servatur proportio.

5. *Responsio ad confirmationem.* — Unde, ad confirmationem quoad priorem partem ejus, respondeo, primo, per se loquendo, et quasi propria virtute, neminem posse dispensare in lege, nisi qui illam tulit, vel superior, et hoc modo procedere dicta de privilegio; per commissionem autem legislatoris posse infe-

riorem dispensare aliquando in lege superioris, et tunc concedo etiam posse idem fieri in privilegio, si superior velit hoc inferiori potestati concedere; hoc autem non est contra regulam, nec extra potestatem legislativam. Nam etiam potest superior concedere inferiori potestatem ferendi aliquam legem, ut supra dictum est. Nihilominus tamen est aliqua differentia inter dispensationem et privilegium proprie sumptum, ut capite secundo dixi, quia privilegium dicit potestatem de se durabilem et quasi lege statutam; unde constituit aliquod jus: dispensatio vero solum est quid facti, et quasi transiens. Et ideo commissa potestate dispensandi, non censetur potestas privilegiandi, ut sic dicam, quia hoc posterius majus et difficilius est. Itaque hoc modo multi habent potestatem dispensandi communicatam a superiore, qui non habent potestatem privilegium concedendi.

6. Ad alteram partem ejusdem confirmationis, dicitur primo, aliud esse donare aliquid de propriis bonis vel concedere usum rei propriæ, aut simile beneficium facere; aliud vero proprium privilegium concedere: nam illud prius non est actus jurisdictionis, sed domini, et ita solum est quid facti; privilegium vero ultra hoc includit aliquid juris, scilicet, quod per modum legis ac juris constituitur, cum vi obligandi alios ad ipsum servandum. Et ideo per se requirit potestatem jurisdictionis, non solum quando derogat juri communi, sed etiam quando concedit aliquid præter jus: nam illud postea respectu privilegiarii tanquam jus servandum est. Quando ergo illæ concessionem, quæ per dominia privata fiunt, privilegia dicuntur, lato modo sumitur privilegium pro quolibet honore, favore vel utilitate liberaliter concessa in propriis bonis, tamen illud non dicitur proprie privilegium, sed per quamdam imitationem, seu analogiam. Unde dicitur, secundo, eo modo quo hæc vocantur privilegia, solere etiam leges appellari, et ita cum proportione oriri a potestate legislativa. Sic enim paterfamilias dicitur constituere legem vivendi in domo sua, et sic etiam dicitur in illa privilegium concedere, vel inter filios, vel inter famulos, etc. Sic etiam testator dicitur leges ponere in institutione sua ab hæredibus servandas, quæ potius sunt conditiones quædam, et eodem modo potest inter hæredes privilegium uni concedere præ aliis, vel uni relinquere sub conditione, ut alius habeat jus aliquod servitutis in illam, vel prelationem aliquam, quæ habet modum

privilegii. Sic etiam contrahentes possunt cum aliqua conditione contrahere, quæ potest interdum vocari privilegium, propter effectum vel favorem quem continet. Sic etiam appellantur leges, contractus vel pænæ conventionales. Atque ita est in exemplo illo de civitate, quæ, licet non possit legem ferre municipalem, nihilominus, per modum pacti et conventionis, concedit aliquam immunitatem civi, vel de novo admissio ad jus civitatis sub tali conditione, vel antiquo propter aliquod opus, vel propter onus quod in se suscipit. Illud enim proprie non est privilegium, sed cum addito, scilicet, tantum conventionale; et ut tale servandum est ex naturali obligatione justitiæ, non ex speciali lege civitatis.

7. *Prima illatio.*—Ex dictis infero, primo, summum Pontificem maxime posse concedere privilegia. Ita docent omnes doctores allegati et est per se notum, quia maxime habet potestatem legislativam, et ita hæc assertio procedit juxta superius dicta de illa potestate, ut est in Pontifice et in concilio generali. Unde inferunt omnes Pontificem per se et directe posse dare privilegia in materia spirituali, quod etiam est per se clarum. Ideoque dicit Innocentius, capite primo de Translat. Episcop., *Privilegium Pontificis* (id est, ejus supremum imperium) *esse generale et divinum, ab illo autem manasse omnia canonica instituta.* Eademque ratio est de omnibus ecclesiasticis privilegiis. At vero in materia temporalis non ita potest Pontifex directe privilegia concedere, nisi in propriis terris Ecclesiæ, ubi est dominus temporalis. Indirecte autem potest etiam in temporalibus concedere privilegium, sicut potest leges ferre; et sic potest etiam temporalia privilegia auferre, ubi ad spiritualia fuerit necessarium, vel per modum condignæ pœnitentiæ, vel pænæ coercivæ, vel ad tollendam occasionem peccandi, et utrumque colligitur ex cap. 2 de Privilegiis. Duobus autem modis potest Pontifex concedere privilegium in temporalibus: uno modo, quia ipsa temporalia indirecte facta sunt spiritualia, id est, spiritualibus annexa, ut sunt decimæ, in quibus Pontifex privilegia concedit. In hoc tamen modo annexio illius materiæ temporalis ad jus spirituale antecedit ad privilegium; illa autem supposita, Pontifex per directam potestatem concedit privilegia in tali materia, sicut per directam potestatem fert legem circa matrimonium, supposita connexionem factam inter illum contractum et rationem sacramenti. Alio ergo modo potest concedere privilegium in materia

pure temporalis, intuitu finis spiritualis, sicut interdum concedit privilegium legitimationis, etiam quoad temporalem successionem, cap. *Per venerabilem*, Qui filii sint legitimi, ubi Panormitanus et alii late de hoc puncto; Rosel., verb. *Illegitimus*, n. 15, ubi alii summistæ. Sic etiam potest Pontifex eximere aliquos a jurisdictione principum temporalium, si ad spiritualia expedit, et similia.

8. Addunt vero Antonin. et summistæ Pontificem non solere privilegia concedere contra se. Exemplum ponunt in privilegio, quod aliqui principes dicunt se habere a Papa circa rescripta ejus, ut sine ipsorum approbatione effectum non habeant: nam hæc et similia privilegia sunt contra ipsum Papam, et ideo non est credendum esse ab illo concessa. Citant Anton. et Sylvest., cap. *Cum ex officio*, de Præscript., in quo nihil reperio quod ad causam pertineat. Rosel. vero citat l. *Jubemus nullam*, c. de Sacros. Eccles., quæ magis ad rem facit, quatenus ibi significatur, *oracula etiam caelestia*, id est, privilegia etiam principum non concedi contra publicam utilitatem, neque in eo sensu esse acceptanda. Hoc enim maxime in privilegiis pontificiis locum habet. Unde adverte restrictionem illam posse intelligi, vel de possibili, vel tantum de facto, et priori modo habebit locum quando privilegium ita esset contra Papam, ut esset contra suam dignitatem eamve minueret; tale enim privilegium non potest Papa concedere, quia non potest suam dignitatem dividere aut minuere. Posteriori autem modo, loquendo de facto, etiam est opus distinctione: nam sæpe concedit privilegia contra se, id est, contra suum commodum, ut dat privilegium testandi interdum diminuendo redditus suos, vel indultum providendi beneficia quæ ad ipsum alias pertinent; non tamen concedit privilegia convenienti usui suæ potestatis et ecclesiasticæ gubernationi contraria, quia esset abusus suæ potestatis, et prodigalitas quædam quæ in Pontifice non præsumitur, et in hoc sensu videntur locuti citati auctores.

9. *Secunda illatio.*—*Obviatur objectioni.*—Secundo, inferitur ex dictis, Episcopos et omnes superiores Prælatos Ecclesiæ posse respective, seu cum proportione privilegia concedere. Ita docent dicti auctores, et communiter alii in cap. *Cum olim*, 2 de Privileg. Et probatur, quia omnes qui possunt leges ferre, possunt privilegia concedere; sed Episcopi possunt leges ferre; ergo, etc. Ex qua ratione constat potestatem hanc in Episcopis esse pro-

portionatam suis legibus suæque dignitati. Nam si privilegium sit contra jus, concedere illud potest Episcopus in jure a se condito, vel a suo prædecessore, quia illud subditur suæ potestati: non tamen in jure communi, vel pontificio, seu lato a suo superiore; et ideo dixit Hostiens. eatenus posse Episcopum privilegium dare, quatenus potest constitutiones facere: et Angel. ac Tabien. clarius dicunt, posse privilegium concedere respectu constitutionis ad se pertinentis. Ratio autem est, quia Episcopi non possunt mutare jus commune, aut illi derogare, ut tradit Archid. in c. *Eleutherius*, 91 distinct., et supra visum est. Dices: Episcopus potest dispensare in jure communi et in votis, et in nonnullis impedimentis per leges pontificias introductis; ergo etiam poterit dare privilegium contra jus commune. Respondet Episcopus per se non posse dispensare in jure communi, sed quatenus jure vel consuetudine concessum est, ut dixi supra, l. 6, et l. 4 de Orat., c. 28, in fine; non est autem illi concessum jure aut consuetudine ut concedat privilegia contra jus commune, nisi prædictæ dispensationes privilegia vocentur, quod pertinet ad quæstionem de nomine.

10. Denique, simili modo dicendum est de privilegiis quæ non sunt contra jus; nam illa etiam concedere possunt Episcopi respectu rerum ad se pertinentium, ut dicunt Hostiens., Angel. et Tabien., et sumitur ex cap. *Constitutus*, de Religios. domib., ubi Papa defendit privilegium concessum ab Episcopo; verum est, fuisse confirmatum auctoritate alterius Pontificis. Sumitur etiam ex cap. *Cum venerabilis*, de Censibus, ubi magis videtur esse sermo de privilegio conventionali quam proprio. Et ordinarie hæc quæ vocantur privilegia episcopalia sunt donationes liberaliter ab eis factæ monasteriis, vel Ecclesiis, vel earum uniones, juxta cap. *Sicut*, de Excessibus Prælat., et capit. *Cum inter*, de Re judic., et cap. *Visis*, 16, q. 2, et quod addunt prædicti auctores, Episcopum non posse concedere hæc privilegia sine consensu Capituli de his largitionibus et quasi alienationibus, intelligendum est juxta cap. *Cum olim*, 2 de Privileg., et cap. *Pastoralis*, de Donat., quod quomodo intelligendum sit explicant in eisdem locis Panorm. et doctores; nunc vero ad nos non pertinet.

11. *Tertia illatio.*—Tertio, inferitur ex dictis, imperatores, reges aliosque principes temporales supremos posse, in sua materia et ditione, privilegia concedere, nimirum, in rebus, immunitatibus, honoribus ac potestati-

bus temporalibus, non vero in spiritualibus, quia in his leges ferre non possunt, nec mutare, nec etiam de illis disponere, aut illas administrare: unusquisque autem id potest in materia temporali in territorio suo, sicut supra de legum latione dictum est; nam cum eadem proportione hoc procedit. De quo videri potest Panormitan. in c. 2 de Immunit. ecclesiast., a n. 13; et Sylvest. supra, q. 2 et 9; e contrario vero, de inferioribus principibus qui superiorem temporalem recognoscunt, sequitur non posse propria privilegia concedere, nisi quatenus eis fuerit specialiter concessum a superiori principe, quia non aliter habent potestatem legislativam, ut supra dictum est. Sylvest. autem, dicta q. 9, cum Panorm., dicit eos concedere posse privilegia immunitatis a tributis; statim vero explicant posse id facere in suum præjudicium, non communitatis; et ita, ut supra dixi, illa non sunt proprie privilegia, sed donationes quædam, vel conventiones.

## CAPUT IX.

## DE MATERIALI CAUSA, SEU SUBJECTO PRIVILEGII, SEU CUI POSSIT CONCEDI.

1. *Prima conditio materiæ legis.*—*Secunda conditio.*—Quia concedens privilegium, aliquid et alicui concedit, ideo hæc duo dici possunt ad materiam privilegii pertinere; unum per modum materiæ circa quam privilegium versatur, aliud per modum subjecti privilegii. Est enim privilegii concessio quædam actio ad alterum, in qua illa duo ex parte materiæ semper distinguimus, ut in materia pœnitentiæ, religionis, et in universum in materia justitiæ. Primum ergo, de materia proxima circa quam versatur privilegium, tantum generaliter dicere possumus debere esse materiam legis capacem, et ex parte postulare generales conditiones legis, ut esse rem justam, rationabilem et honestam, juxta dicta libro 1, cap. 9, specialiter vero addere possumus materiam privilegii tria postulare. Unum est, ut sit favorabilis, ut circa definitionem explicatum est. Et ita versari potest in omnibus humanis commoditatibus, ut in honoribus, muneribus, proventibus, et e converso in oneribus, tributis et aliis exemptionibus; sicque materia hæc infinitam habet varietatem, quæ per accidens est, et ideo sub scientiam non cadit. Alia conditio hujus materiæ assignari potest, ut sit specialis aliqua facultas ad aliquid agendum vel non agendum, recipiendum aut non reci-

piendum. Non enim omnis materia favorabilis est materia privilegii, quia multi sunt favores, aut beneficia, vel liberales donationes, quæ non sunt privilegia, quia solum in facto consistunt, et non concedunt aliquod jus, et ideo nullo modo participant rationem legis; privilegium autem permanentem aliquam facultatem tribuit, non communem; materia ergo privilegii hanc conditionem requirit.

2. *Tertia conditio.*—Addi vero potest necessarium etiam esse ut, secundum hanc specialem rationem, participet conditionem justitiæ et honestatis, quæ debent esse veluti transcendentales, et inclusæ in omni specie, seu differentia legis. Unde cum privilegium habeat duos respectus, unum ad eum cui gratia fit, alium ad eos respectu quorum fit, seu a quibus debet servari privilegium, sub utroque respectu debet justitiam et honestatem servare: diverso tamen modo, nam respectu privilegiarii, satis est quod sit talis materia, ut ab ipso possit honeste et sine injuria aliorum fieri vel omitti, saltem supposito privilegio: respectu vero aliorum, oportet ut vel nullum vel moderatum gravamen contineat, ita ut secundum rectam rationem ad illud sustinendum obligari possint. Et juxta hanc generalem regulam de singulis privilegiis judicandum est: neque enim hic possumus magis in particulari ad illa descendere: infra vero, tractando de privilegiorum interpretatione, nonnullas regulas ad interpretanda privilegia, ex hac generali doctrina, colligemus.

3. *De persona cui conceditur privilegium.*—Superest dicendum de persona cui privilegium conceditur. De qua loqui possumus de possibili, vel de facto. Prior sensus pertinet ad capacitatem privilegii; posterior vero ad actualem concessionem passivam, seu participationem privilegii. Dicendum ergo imprimis est omnem hominem alteri subditum, vel aliquo modo inferiorem, esse capacem privilegii, et nullum alium. Quæ assertio tres habet partes. Prima est de personis subditis, sub quibus comprehendimus omnes habentes in terris inferiores; nam sicut omnes illi, de se accipiunt se loquendo, sunt capaces legis sibi impositæ a suo superiore, ita etiam sunt capaces privilegii, quia quantum est ex se possunt eximi a lege, si aliæ conditiones necessariæ intercedant. Item, dare et recipere quasi correlativa sunt, seu reciproca; sed omnes principes habentes potestatem ferendi leges possunt privilegia concedere, et consequenter maxime possunt illa suis subditis concedere; ergo, e

contrario, subditi sunt capaces privilegii. Imo hinc inferunt aliqui, solos subditos, ut tales sunt, esse privilegii capaces, quia princeps suis tantum subditis, et intra ditionem suam potest concedere privilegia, quia solis illis potest imponere legem, et solos illos potest a lege solvere; ergo etiam subditi a solis suis principibus possunt privilegia recipere; ergo tantum homines subditi, ut subditi sunt principi habenti talem potestatem, sunt capaces privilegii.

4. Addidi vero secundam assertionis partem, quia non solus subditus videtur posse a suo superiore accipere privilegium, sed etiam ab alio. Nam etiam princeps non solum subditis, sed etiam non subditis potest concedere privilegium. Verbi gratia, dux Florentiæ potest concedere Lusitanis privilegium, ut transeundo per suam ditionem non solvant pedagia, vel quid simile. Atque hoc clarum supponunt Innocent., Panorm., Felin. et fere omnes alii in cap. *Novit*, de Judiciis, et in cap. 4 de Probat., constituentes differentiam inter privilegium concessum subdito vel non subdito, quod illud revocabile est, hoc irrevocabile, de qua differentia postea videbimus; nunc solum ex illa sumimus non subditum esse capacem privilegii. Inductione etiam ostenditur: nam imperator concedit privilegia iudicibus ecclesiasticis, licet illi subditi non sint, ut quod, in aliquo casu, per viam appellationis possint directe de laicis in causis temporalibus judicare, ut patet ex c. *Quicumque*, 11, q. 1. Similiter possunt seculares principes privilegium concedere clericis, licet illis non sint subditi, ut constat ex multis legibus, c. de Episc. et Cleric. et de Sacros. Eccles. Quin potius, cum sit certum legem civilem disponentem in specie circa clericos, nec illos obligare, nec ab illis servandam esse, ne videantur suo privilegio fori præjudicare, nihilominus si talis lex merum privilegium contineat, ab eis acceptari potest, cum Abbate docet Felin. in c. *Eccles. Sanctæ Mariæ*, de Constit., n. 40, in c. *de*; et rationem reddit, quia tunc cessat ratio superioritatis, cum non subditus possit privilegiari, cap. *Novit*, de Judic. Ratio autem cur non subditus possit privilegiari est, quia privilegium, ut sic, non requirit vim coactivam, nec vim directivam in privilegiarium, quia privilegium illum non obligat, nec ad poenam, nec sub culpa; ergo privilegium, ut sic, non requirit subjectionem.

5. Propter hoc ergo dixi in secunda parte assertionis, *Vel aliquo modo inferiorem*, quia

in rigore non est necessaria propria subiectio in eo qui privilegium accepturus est, vel ut illius sit capax. Hoc autem maxime verum est de privilegio quod non continet dispensationem aut exemptionem ab aliqua lege, quia si dispensationem contineat, eo ipso est actus jurisdictionis voluntariæ, et supponit jurisdictionem non voluntariam, scilicet, ad ferendum præceptum obligans, a quo fit exemptio seu dispensatio, de quo privilegio loqui videntur qui subjectionem tanquam conditionem necessariam in privilegio requirunt. Privilegium autem quod non derogat alicui legi, non requirit, formaliter loquendo, jurisdictionem respectu ejus cui tale privilegium conceditur, quia talis concessio non est actus jurisdictionis, ut per se patet, sed est actus liberalitatis, vel potest etiam esse pactum aliquod, ut infra dicemus; ergo tale privilegium non requirit subjectionem in eo cui conceditur. Unde concedi potest et æquali, et superiori, et alieno (ut sic dicam), vel peregrino, ut ex exemplis adductis constat.

6. *Recipiens privilegium semper supponitur inferior aliquo modo.*—*Obviatur objectioni.*—Nihilominus tamen semper recipiens privilegium supponitur aliquo modo inferior. Quod clarius cernitur quando privilegium datur a rege clericis suæ reipublicæ vel regni; nam, licet illi exempti sint a jurisdictione temporali, nihilominus sunt vasalli, et tenent suum principem recognoscere in his quæ suæ immunitati non sunt contraria, quia sunt membra communitatis cujus ille est caput. Idem cernitur in alienis qui, dum transeunt per terras alterius principis, ab illo recipiunt aliquod privilegium: nam illi dum ibi peregrinantur aliquo modo sunt inferiores et subditi. Si vero unus rex alteri regi vel principi supremo concedat privilegium, semper erit cum habitudine ad terras suas, respectu quarum alter est inferior et inæqualis, esto non sit subditus. Quomodo etiam Pontifex est capax privilegii recipiendi ab imperatore vel principe temporali, ut omnes dicti juristæ supponunt, ut patet de illo privilegio exercendi jurisdictionem directam in aliquibus causis civilibus, et idem est in privilegio extrahendi de regno alieno res prohibitas per leges illius regni, et similia. Dices: cum privilegium sit lex, quomodo potest concedi sine usu jurisdictionis? Respondeo, ideo dixi, me loqui formaliter respectu ejus cui privilegium conceditur, quia ut sic non obligat illum, et ideo respectu illius non est necessaria jurisdictio: